

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput V. De imagine dei, et eivs amissione, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

CAPUT V.

DE

IMAGINE DEI,

ET EIUS AMISSIONE, RESTI-
tutione partiali.

215. Dan. 3. *ψ.* 1. *Nebucadnezar statuam auream fieri & in agro pulcherrimo locari iussit, proclamari, ut omnes populi divinis eam honoribus afficerent. Qui non obtemperabant edicto regio, in fornacem ardentem conjiciebantur.*

1. Deus est rex æternus, Jer. 10. *ψ.* 7. qui imaginem suam, velut statuam auream, coruscantem *radis sanctitatis & justitie*, Eph. 4. *ψ.* 24. Col. 3. *ψ.* 10. erexit in agro pulcherrimo.

2. *Hic est cor Adami, ager pulcherrimus, nondum maledictus. Hunc quoque Deus in agro pulcherrimo Paradisi constituit, non inaccessi homini, ut postea, Gen. 3. v. ult. Ipse quoque Deus proclamaverat, ut Adamus hanc statuam benè curaret, non comederet de arbore, Gen. 2. *ψ.* 17. Atqui descivit homo à Deo, rebellis factus, & in fornacem miseriarum conjectus est, quæ semper fumat igni calamitatum, ut in typo monstratum, Gen. 15. *ψ.* 17.*

DIGNITAS EXIMIA PRIMI
hominis.

216. *Joseph gerens regis Egyptii imaginem, annulos, sigilla, magnificus habitus est in tota Egypto, Gen. 41. *ψ.* 42. 44. Ita primus homo totius mundi Dominus, Dei imaginem non tantum gessit; sed & ipse fuit, annu-*

annulum aureum divinæ imaginis accepit. In hoc annulo variæ fuerunt gemmæ,

1. *Divinæ cognitionis & Dei*, Col. 3. v. 10.
2. *Creaturarum cognitionis*, Gen. 2. v. 19.
3. *Iustitiæ & perfectionis*, Eph. 4. v. 24.
4. *Sanctuaris*, ibid.
5. *Veræ libertatis*, Gen. 2. v. 15. Syr. 15. v. 14.
6. *Immortalitatis*, Sap. 2. vers. 23. Gen. 2. vers. 16. Rom. 5. v. 15.
7. *Dominationis*, Gen. 1. v. 26.

IMAGO AMISSA.

217. 2. Regum 11. v. 18. *Athalia rebellis casâ, omnes ejus imagines confractæ sunt*. Protoplasti sunt instar Athaliæ rebellis, ipsum regno Deum expulsuri, quibus per peccatum occisis, imagines eorum confractæ sunt & ablatae. *Protoplasti omne semen regum interfecerunt, ut Athalia*, 2. Reg. 11. v. 1. Rom. 5. v. 12. hoc est, omnes posteros, pro quibus & ipsi dona acceperant.

PER CHRISTUM RESTITUTA.

218. *Josias omnes idololatricas imagines ejecit*, 2. Reg. 23. v. 4. Josias verus Christus est: Imago idololatræ est peccatum & inobediencia, 1. Sam. 15. v. 23. hanc Christus ejecit suâ obedientiâ, innocentia, novam imaginem nobis per Spiritum sanctum imprimens. 1. Cor. 15. vers. 49. Ille est verus *Josias*, quo duce Athalia casâ est, scilicet, Satan, qui idololatriâ suâ templum Dei, hominem, conspurcaverat, & omnes illius imagines comminutæ, 2. Reg. 11. v. 18. Dei imago restituta inchoativè, donec consummetur in altera, ubi plenè satiabimur imagine Dei. Psal. 17. v. 15. Hic satiari non possumus, in imperfectione hærentes Rom. 7. v. 24. 1. Cor. 13. v. 9. *Aurea monilia hujus imaginis*
hic

hic accipimus, Ezech. 16. ψ . 11. donec, ut Rebecca, Gen. 24. ad sponsum Christum perveniamus, plenè exorandi, cum ipse erit omnia in omnibus. Congruit huc illud 1. Sam. 5. ψ . 4.

Arca fœderis destruxit idolum Dagon:

Ita Christus imaginem Satanæ, vera illa arca fœderis, cum infertur in templum Dagonis, hoc est, hominis peccatoris & corrupti, mox demolitur idolum peccati, quod est verè Satanæ. Illa autem demolitio fit per regenerationem & renovationem, de qua 2. Corinth. 4. ψ . 16. Eph. 4. ψ . 22. Rom. 6. ψ . 4. Coloss. 3. ψ . 10.

ADAM OCCISUS IMAGINEM

amittens.

219. Ezech. 6. ψ . 5. *Sinam interfici coram imaginibus*. Ad literam de idololatriis sonat: quorum pater Adamus cum sit, similem pœnam cum filiis expertus, mortem animæ & corporis perpeffus, Rom. 5. ψ . 12. imago ablata. Gen. 5. ψ . 3. *Adam genuit filium ad suam imaginem*, non Dei. *Cnejus Scipio* (Valer. Max. lib. 3. c. 5.) magni Africani patris degener filius, annulò aureo spoliatus est à cognatis, in quo *sculptum caput patris*, quod ille turpiter *viveret*. *Eadem fuit Adami sors, imagine Patris cœlestis spoliati*, in qua Dei Patris imago sculpta, Gen. 1. ψ . 27.

ABUSUS IMAGINIS DIVINÆ.

220. Ezech. 7. ψ . 20. *Ornamenta monilium in superbiam posuerunt & imagines abominationum suarum & simulachrorum fecerunt ex eo*. Imago Dei, Adami monile erat, à Deo concessum. Verùm in superbiam posuit, volens esse Deo similis, Gen. 3. v. 5. & imaginem

K

abo-

abominabilem ex eo fecit, hoc est, peccatum, ex quo homo abominatio fit: Job. 15. ψ . 16.

IMAGO RESTITUTA.

221. Gen. 2. ψ . 26. *Primus homo ad imaginem Dei factus, qua Christus est*, Heb. 1. ψ . 3. Coloss. 1. ψ . 15. Hanc recuperavit homo per hominem secundum 1. Corinth. 15. ψ . 55.

IMAGINIS DEI TYPUS.

222. *Sacerdos V. T. laminam auream fronti affixam gerebat, cui inscriptum erat? Sanctum Domino*, Exod. 28. ψ . 36. Lamina illa aurea imaginem notabat, quæ sanctitate constabat & iustitiâ. Eph. 4. ψ . 24. Hanc Sacerdos V. Testamenti in fronte gerebat, quia amissam imaginem Sacerdos verus noster Christus restitutus esset. Psal. 110. ψ . 4. Rom. 5. ψ . 18.

ADAM SUPER OMNES EXALTATUS & HONORATUS EST.

223. Syr. 49. vers. 20. quia super omnes creaturas exaltatus primus Adam, bonis & donis internis & externis affatim cumulatus. Hæc omnia perdidit, ideoque

DEUS EUM HONORE

exiit,

224. Job. 19. ψ . 29. *E sede honoris Paradiso ejicendo*, Gen. 3. ψ . 23. 24.

2. *Divitiis & honore spoliando*. Expulsus enim paradiso Adam, divitiis omnibus excidit, in pauperiemmersus, Gen. 3. ψ . 19. & honore spoliatus est, qui inobedienciâ Deum affecerat ignominiâ.

3. *Societatem gratiosam relinquendo*. Peccato enim Dei gratia excutitur. Jacob de Simeone & Levi dicebat,

cebat, Gen. 49. v. 5. 6. *Gloria mea non intrabit in congregationem eorum, qui occiderunt virum in furore.* Talis latro Adam fuit, cui furorem Satan instillavit serpentinum illum, Psal. 58. v. 5. quique omnes posteros occidit, Rom. 5. v. 12. Hujus latronis societatem gratiosam Deus reliquit ad tempus: eandem tamen rursus per benedicti feminis promissionem, Gen. 3. v. 15. redintegavit.

ADAM AD GLORIAM EST

creatus.

225. 1. Sam. 2. v. 8. *Exaltat pauperem e luto, ut constituat eum inter principes, & sedem honoris eum hereditare faciat.* E luto Adamum Deus fecit, Gen. 2. v. 7. eum mundi principem, Paradisi, constituit, sedem honoris, tanquam nobilissimo operi, concessit, Gen. 1. v. 29. Sap. 2. v. 23.

IMAGO DEI GLORIOSA.

226. Rom. 1. v. 23. *Gentes gloriam Dei transmutasse dicuntur.* Imago Dei erat Adami gloria, quam per lapsum mutavit, amisit planè, stultus ex sapiente redditus est, 1. Cor. 2. v. 14. & imaginem corruptibilis hominis accepit, 1. Cor. 15. v. 49.

IMAGO DEI FOEDUS

erat,

227. Ose. 6. v. 7. *Fœdus transgrediuntur, ut Adam.* Imago itaque primi hominis velut fœdus erat de præstanda obedientia, Gen. 2. v. 16. 17. quod petulanter transgressus, à Deo deficit. Hoc erat fœdus illud, de quo Sir. 17. v. 10. *vita nimirum æternæ.* Hoc fœdere violato, fœdus mortis nobiscum pactum est, Sir. 14. v. 18. & 12.

K 2

IMA-

IMAGO DEI EST NUMMUS

& drachma.

228. Luc. 15. v. 8. *Drachmam lucernâ accensâ quaesivit mulier.* Drachma & nummus imago primi hominis fuit.

1. *Ob majestatis significationem.* Cudere monetam, non postrema pars majestatis: Imago hominibus primis collata, majestatem Dei significabat, cujus ille radiis, in intellectu, in voluntate, in appetitu, coruscabat, Eph. 4. v. 24. Col. 3. v. 10. Sap. 2. v. 23.

2. *Similitudinis excriptionem.* Nummus imaginem magistratus ad vivum exscribit: Ita imago Dei, divina dona & bona referebat & representabat, justitiam nempe & sanctitatem & reliqua dona. Vid. sup. 216.

3. *Falsariorum pœnas.* Falsarii erant protoplasti, qui quod monetam & drachmam Dei per peccatum adulterâssent, cum tota posteritate pœnas dederunt, Rom. 5. v. 12. I. Cor. 15. v. 49.

Sap. 2. v. 23. 24.

